

EXPERIMENTVM IV.

Pulmones Embryonum summopere a pulmonibus hominis adulti differunt, nam Embryonis pulmones adhuc sunt crassi, densi, rubicundi, et ponderosi, ob vesiculas minores ex quibus pulmonum substantia maximam partem conflatur, nondum explicatas, ita ut aquae immerfi illico submergantur et fundum petant. In homine vero adulto albicantes instarque spongiae molles, et rarefacti deprehenduntur pulmones, nec non leviores sunt, et aquae semper innatant.

EXPOSITIO.

Differentia haec pulmonum exoritur a respiratione vel deficiente, vel praesente. Quoniam enim foetus ob multas causas respirare, adeoque in inspiratione aerem recipere non potest, ejusdem etiam vesicularis substantia non expanditur, ideoque crassior et compactior permanet, usque dum ab accedente aere in homine extra uterum constituto, dilatatur, attenuatur et rarefit. Videmus itaque facile, quid istorum auribus tribuendum sit, qui non equidem, uti in proverbio est germanico, pulices tuscentes et gramen crescens, sed Embryones in utero plorantes aliquando auditu perceperunt, quia ejulatio est species vocis, quae ab aere in respiratione recepto et modificato producitur. Absolum igitur omnino esse videtur, asseverare vocem ejulantem in homine qui non respirat. Porro in Medicina forensi, si de infanticidio perpetrato

oritur